

APPENDIX

A. 1.

Anonymi auctoris tractatus politicus

Circa medium annum 1708.

In fervido tempore propagationis per totam Poloniam variarum in rebus politicis sententiarum aderant praesentia haud improbata argumenta sive partem regis Augusti II porro tenendi sive rationem parti Stanislai Leszczyński reddendi. Adversus hunc tamen Sancta Sedes consequenter opiniones non prosperas edebat. Hic tractatus verisimiliter anno 1708 scriptus est in hoc tempore, cum rex Suetiae eiusque candidatus Stanislaus Leszczyński praesertim multum in rebus ante certamen cum Moscis ultimum confectum valebant. Ignotus auctor huius tractatus prodit multas rationes Stanislaum Leszczyński regem legalem Poloniae agnoscendum esse, et simul reprehendit politicam Sanctae Sedis erga Rem Publicam Polonam.

Copia: AV, Fondo Albani 195 f. 208r-212v.

Roma informata

Quid censendum sit de Republica Poloniae, adeo obscurum, ut vix in eo rerum statu explicari possit, maxime ad exterorum captum, qui videntur sibi naturam legum Poloniae penetrare, re ipsa in ipsis primis principiis totaliter falluntur. Contermini Principes incredibili astu negotia aut interturbant, aut protrahunt, ipsi Poloni, magna ex parte hodierno muti^{a)} aut supra aemulos avida evectione obcaecati, de crastino detrimento et vicina simul gravi ruina incurii nihil laborant, reliqui aut privati, aut carent autoritate, qua fidem concilient, aut in publico quidem magistratu constituti, sed armis totaliter ita oppressi sunt, ut nec hiscere liceat etiam in evidenti omnium quarumque etiam fundamentalium legum violatione. Unde ego nec attingere volo (quidquid demum indignissime fiat), sed cum verus Romano Catholicus et rerum Polonicarum ultra alios exteros gnarus, explicare modo simplici et claro id solum, quod respicit correlationem cum Sancta Sede Romana, cuius autoritas, ut in Polonia eodem in gradu perseveret, integro zelo agendum est. Dolendum interim, quod Summus Pontifex aut non habuerit hactenus aliquem idoneum, contrariis studiis non obnoxium, aut dignum fide, qui illi res prout sunt explicuisset, aut si forte habere potuit, aure nonnihil in contrarium praeoccupata, multis veritatibus in sua sinceritate claris illum vigo-

rem ademit, quo <eae> proponi ex re Polonae Reipublicae et ex re ipsius Sanctae Sedis potuissent. Certe motivum meum est, licet nonnihil tardius, procul omni possibili livore, dum vides perire Poloniam, aliquam Summi Pontifici animadversionem facere, ut videat tandem vixisse in Polonia homines sinceri cordis, qui etiam tempestive aperuissent puram veritatem, si id licuisset, videat - inquam - sive pro remedio sive pro tardo licet in rebus Poloniae lumine non datas sibi fuisse ex aequo et vero informationes. Positus igitur extra omnem spem et metum certas in suo proprio obiecto veritates sic exordior.

Utrum Summus Pontifex potuerit accelerare recognitionem Regis Stanislai?

In hoc puncto habendo prae oculis honorem Sanctae Sedis et securitatem fidei, duo considerari deberent. Unum est consensus ordinum, alterum finalis conclusio inter Rempublicam et Suecum, in qua subrepere posset aliquid sanctae fidei nocivum. His perpensis non dedissem consilium Sanctae Sedi accelerationis, de ordinum consensu haec notentur, [208v] utcunque alias consideretur Respublica. Non considerari debent duae illius partes, quae totum complexum constituunt, scilicet Confoederatio Varsaviensis et Confoederatio Sandomiriensis, ut hoc nomine eas censeamus. Utraque haec confoederatio approbavit et ratificavit abdicationem Regis Augusti¹, sed non utraque recognovit Regem Stanislaum. Dico, quod abdicationem, Sandomiriensis, quae erat contraria Regi Stanislao, approbavit omnibus quidem rationibus, sed <non> hac maxime clara et non negabili et posita extra omnem controversiam. Si quidem ipsa, praetentata prius Regis Augusti voluntate, declaravit aperte nec dissimulanter Interregnum, clausit Tribunal Regni et omnia Iudicia Castrensia, quae regnante Rege practicantur, et e contra constituit illa, quae vocantur a captura nefariorum (qui tunc vel maxime Regno vacante grassantur) capturalia, quae nefas est attingi, nisi Regnum Rege careat. Neque Rex Augustus ullo tunc in contrarium sese sensu opposuit, sed ratum habuit, illum actum. Igitur licet utraque confoederatio dedit consensum abdicationi, non item recognitioni Regis Stanislai. Cui eadem confoederatio Sandomiriensis restitit semper et concordiam toties simulando tandem oblatam declinavit. Hoc posito, non erat consonum Sanctae Sedi anticipare seu accelerare recognitionem et submittere honorem suum casibus in futurum dubiis, qui evenire potuissent perdita spe concordiae. Idem putandum est de finali cum Sueco conventionione, licet enim adfuisset prudentissima spes, quod Rex Carolus in gratiam Regis Stanislai abstinuisset a praeiudicio faciendo sanctae fidei (ut infra videbitur) in incertum tamen res

¹ Confoederatio Varsaviensis proclamavit die 14 Februarii 1704 depositionem regis Augusti II de throno Poloniae, confoederatio autem Sandomiriensis idem fecit mense Iulio 1707, postquam abdicatione Augusti II a rege Suetiae Carolo XII Altranstadii 24 Octobris 1706 extorta erat.

tanti momenti non debebat proici, potius mora eligenda erat, quae intentiones occultas patefecisset.

Utrum Summus Pontifex debuerat procurasse universalem concordiam, quae supponitur fuisse necessaria ad recognitionem Regis Stanislai?

Naturalis consequentia inferri videtur, quod Summus Pontifex, posita abdicatione Regis Augusti et authenticata per tot Principes, qui sponsionem^{b)} Regis Suetiae dederunt illam esse et fore stabilem, non debuisset expectasse novos rerum eventus et novas crises, quae sine funestis sequelis dari nequeunt, sed debuisset sequi viam, quae plana aperiebatur, et quae sitis mediis congruis procurare tranquillitatem et unionem animorum, ut Regem Stanislauum secuti vidissent sibi propitium, nondum autem secuti, vidissent id ipsum considerantem, reservata omni recognitione publica. Profuisset plurimum interpretatio animi paterni inclinati ad modificandum id, quod iam prae manibus erat. Et fecerat quidem aliquam spem Nuntius Spinula Opaviae degens² promovendi hoc commune bonum, modo nomine Regis Stanislai venirent idonei cum potestate [209r] determinandi et amovendi, si quid inter partes restaret durius, sed haec nullo eventu, monstrata manifesta propensione ad unam, clara vero insensibilitate et minus prudenti indignatione ad partem alteram. Potuissent autem mala omnia, quae sunt subiecta et subsequenter, praecidi et parata animorum unione, tunc demum recognitio ad exitum deduci, nec iuvat Romam sonasse verbis hoc unionis desiderium, siquidem nec innuit centrum illud, circa quod unirentur Poloni, non Regem Augustum, de quo nulla iam restabat quaestio, non tertium quemquam, qui non unionis, sed novarum tricarum fomentum fuisset, quare igitur non allaboratum animo inclinato ad id, quod solum tunc concordiae obiectum esse poterat.

Quod erat impedimentum, ne Papa inclinaretur in favorem Regis Stanislai supposita unione universali, et quantum indifferentia saltem fuisset necessaria?

Summa semper existens^{c)} Summi Pontificis remora, nova Regis Augusti conversio, nec unquam decebat Summum Pontificem contrariari principi, qui haeresi abiurata fontem Luteranisimi Saxoniam nova Romanae fidei scaturigine nobilitavit. Certe inde sequitur continuandam illi favoris sui assistentiam, neque fuisse deserendum, nisi ipse Regnum ex integro deseruisset? Abdicatione hac posita relinquebatur Papa suae libertati et modus, qui vicinior et probabilior ad Poloniae salutem praesto erat, poterat etiam desiderari et praticari, non tam celeri recognitione quam potius dispositionum favorabili^{d)} induitione ad concordiam cum Principe, cuius obsequii

² Nicolaus Spinola advectus est Opaviam die 13 Februarii 1708, ibidemque permansit usque ad Octobrem 1709, postea autem infra fines Poloniae se translocavit.

expressiones placido animo Roma, nec quidem mediantibus personis characteribus publico caventibus, audire nunquam sustinuit. Fuisset Roma saltem indifferens compassione erga Regem Augustum, non indignatione erga Regem Stanislaum, quae non indifferentia <est>, et posito (quod pro certo asseritur) Romam hortatricem etiam fuisse Regi Augusto, id nec cogitanti, ut rediret ad thronum, cui renunciaverat, indubitanter agnosceret suo tempore Summus Pontifex, infelici totius Poloniae casu, nihil se in Saxonia emisse, quod quidem sperari potuisset, si Rex Augustus in Polonia^{e)} placide et quiete regnasset, quod ipsum potius procurandum erat Summo Pontifici in antecessum, quam suus Poloniae fatalis reditus.

Utrum Regis Augusti abdicatio pro legitima reputari debeat?

Quidquid huic legitimitati opponitur, non est tam invalidum, ut neque propugnari alia ratione, nisi centum millibus Moschorum possit. Sed hic non instituitur quaestio in fundamento potentiae, nam adferri ipsius decisiones, etiam religio non quoad dogmata fidei, sed quoad sui latitudinem, decus et privilegia necesse est ut trepidet.[209v] Abdicatio igitur constituta per plenipotentarios, subscripta in Polonia et ratificata personali Regis Augusti in Saxoniam approbantis eadem adventu, acceptatis ab eodem tot Principum Europae sponsonibus, data manu se contraria non attentaturum, recognitione suamet propria manu Regis Stanislai et dato illi Maiestatis titulo, reddito electionis suae diplomate, derelictione Poloniae et evocato ad unum suo exercitu, nulla minima contraventione illis actibus, qui contra ipsum fiebant in Polonia, etiam a suis intimis, tanquam orbata Rege, taciturnitate trium annorum, nec minima in contra protestatione, etiamsi Suetica potentia a duobus annis in remotissimis partibus impedita fuisset, D.ni Lagnasco³, sui Romae alegati, ab aula Papali remotione et ablatione characteris, suppressionis tituli Regis Poloniae, abolito usu stemmatis Poloniae in omnibus tam privatis quam publicis expeditionibus, si haec solo titulo ad actionis invalidantur non utique ista Rex Augustus carcere pressus fecit, et si irruptio Suetica in Saxoniam vim ad actionis habet, nulli unquam tractatus toto mundo validi sunt, qui nunquam transiguntur, nisi una parte vi belli adacta ad sustinendas conditiones, quas victor praescribit, certo ab invitis, non tamen nulliter acceptandas.

Utrum reditus Regis Augusti in Poloniam sit legitimus.

Indubitanter legitimus esse potuit Regi Stanislao, nondum <eo> pacificato et integro iure regnandi gaudente nec^{d)} idipsum, quodamque habuit, ius dante^{e)} in sinum Poloniae, unde Respublica libera et sui iuris effecta, tot malis afflicta, Suetiae avaritia pressa, ad illicitum renovandae cum Augusto

³ Petrus Taparelli de Lagnasco factor Augusti II regis Poloniae in Roma.

libertatis praesentato civium amore, si forte securi redditi, quod Princeps more Regum Poloniae nullo proprio exercitu fultus, multo minus externo formidabilis, regnare velit. Credibile est, quod corda omnium iunxisset et regnum ratum et gratum habuisset. Non mirentur hic exteri Reges Poloniae proprio exercitu carere debere, etiam Rex Ioannes III magnis victoriis clarus in campo erat praeliorum arbiter, sed domi nec habebat nec regebat exercitum. Respublica augebat numerum et stipendia, Respublica per ducem suum iudicabat, puniebat, stativa distribuebat, nec ullo titulo vocari potuit Regis, sed Reipublicae, ut pote a sola Republica dependens, exercitus. Sed quidquid hac ^(h-in parte-h) factura sit Respublica, non disputo, ne meum. Ut inquiram, intentum est.

Sed an Apostolicus Nuntius debebat adventu suo in nomen Regis Augusti anticipare omnes Reipublicae passus?

In hoc puncto haerere nolo et credo Regem Augustum resalutandum uti Regem Poloniae a Regni ordinibus, certum tamen est, eo tempore quo Nuntius [210r] Apostolicus Spinula, sub nomine iam regnantis Augusti et ad eundem velut ad terminum (ubi credentiales suas repositurus ingressus est), <ad> Rempublicam nullum fecisse gradum, quo redeuntem recognosceret, aut abdicationem annihilando, aut de novo constituendo aliquid electioni aequivalens. Quia tamen auctoritas Apostolica rebus multum addidit momenti in hoc Regno, si quid erit in sequelis funestum, refundetur certo in id quod prope actum est, contra omnem Curiae Romanae usum, quae insanabilia vulnera sola cunctatione sanare et restituere consuevit. Invitatio ad unionem sancta est, sed numquid salubris esse poterit, ubi adhortatio Pontificia cum adactione Moschovitica circa idem obiectum simultanee coniugitur <?>

An a Rege Augusto periculum sit Fidei Sanctae in Polonia?

De persona Regis Augusti et eius ad fidem Romanam adhaesione, de modo vivendi et negotia religionis peragendi nihil attingo. Nolo, ut multi actiones fictas sanctificent, nec curo, ut caeteras condemnent. Certe exercitus haereticus annis antecedentibus psalmodia sua et contiones personans Varsaviae non multum nobilitavit palatii viciniam. Quae contagia, quanti momenti sintⁱ⁾, noverunt ii, qui incumbunt momentis conscientiarum tractandis. Sed si hoc non tantum ad praesens quid fecit, dum stabilito Regno consortem suam Reginam in Poloniam adducet, certe hoc posito iure communi denegari non poterit publicum in palatio sacellum omnisque usus rituum et praedicationis acatholicae, hic nolo aperire sensum, ne doceam id, quod detestor. Sed integra certitudine affirmo non elapso semestri spatio fore pro palam ingentia sanctae fidei damna, partim considerando nobilem iuventutem in loquendo et sentiendo sine freno liberam, partim faemineam

plerumque inconsiderationem et etiam in magistratibus adulationem aulae nimiam, quae utique nuperrime visa est; sed Rex firmatus patietur, ne filium suum subiicere incertitudini electionis Poloniae, et non potius tempestive stabili, et successionem, modo eodem quo reliqua, peragit. De hoc qui dubitat, somnia sibi placentia ultro fingit, non autem prudenti ratione regitur. At quis, non dico, spondet, sed vel cogitat de conversione filii? Quae nam sunt argumenta, quae id suadeant? Dato autem hoc inconvenienti, quod evidens est, actum est de religione in Polonia. Quid suadet Regi Prussiae, ut stabilitonem in throno Regis Augusti promoveat? Nonne exiguus Sueticae amicitiae fructus et maiora hinc commoda, quae sperat, si Elbinga et pars aliqua Prussiae, si non tota, [210v] illi accedat<?> Quae omnia ut in fide catholica sub eius Dominio conserventur, potestne^k subesse minimus spei color?

An libertas Polona sit in Polonia unicum fidei catholicae conservativum<?>

De aliis Regnis aliud forsitan cogitari potest, sed de Regno Poloniae concludendum est, ita esse cinctum hostibus sanctae fidei, ut non sit reperibilis situs ullius Regni aequae infelix: hinc Hungaria haereticorum potentia fervens, hinc Sylesia male et vix potiori parte catholica, hinc ditionum Regis Suetiae et Prussiae per Livoniam et Pomeraniam confinia, hinc protensi in longum limites haeretico schismaticorum versus Moschoviam, hinc Tartarorum territoria, hinc Turcarum dominium. Rex sui iuris, si non quicumque certo unus ex paucis partim privato motivo, partim negotiorum suorum, et ratione status inductus facile in tam lubrico situ perverti potest, quo facto sequeretur idem, quod tota Europa factum est, ubi tot Regna suos Reges et Principes ^{(1)in secta¹⁾} Luteri et Calvinii secuta sunt. Res publica quamdiu retinet ius vetandi et vigorem sensus sui, etiam contra opinionem Principis, tamdiu habet, quo tueatur fidem Romanam. Utique Polonia eodem spiritu ante centum annos afflata erat, dum longe maior pars sepatus a fide sancta defecerat. Et si pluralitas valisset, olim pauciores eiecti fuissent, nisi libertas Polona etiam in paucis constituta, sistere potuisset incumbentem etiam plurium molem et arcere, quod alias inique intendebatur. Exemplum sit Anglia et Hollandia. Anglia licet parlamenti autoritate praedita, quia tamen Princeps paulo minus absoluto praepotens est, vicina erat mutationi fidei, quamvis in veram, sub Iacobo⁴, Hollandia. Quia liberior nec effulget unquam spes catholicae fidei introducendae, adeo libertas^m, fidei, quaecumque illa sit, est unicus custos, porro quantum libertas Polona in proclivi sit, profecto non est intenti mei probare, et pauci exterorum intelligerent, quae adferri possent, nam imbuti principiis monarchicis ad quamlibet propositionem, in qua negatur Principis potestas, stupent.

⁴ Iacobus II de stirpe Stuart, rex Angliae

Quantum a Moscho periculum Romanae fidei<?>

Ultra Romanam Curiam nemo melius novit Graecorum fallatiam et si tot experiētiis edocta adhuc illis fideret, videret fieri, quaeⁿ minime optaret. Novit [211r] Polonia horribilibus damnis suis, quid valeat, ultra nativos Graecos, Graeco-Ruthenorum versutia. In politicis profecit indefesse mentiēdo, ut dum aliis cingimur hostibus, dumque a Turca impugnamur, tum demum lucratur ampliando ditiones suas. Sed ut loquamur praecise in materia fidei, toties blandita est Romae promissa unione, quoties in sui status rationem fallere decrevit, toties blanditias vertit in favorem, quoties intento suo potita est. Et eadem est hodie, quae et nudius tertius. Unde ergo per Moschos fidei dilatatio speranda est, si quantum nobis ademit, tantum apostature fecit. Ubi Smolenscii et Kioviae cathedrae, ubi episcopi et capitula? Ubi in tot ditionibus, quae totam Poloniam aequant, parochiae? Ubi tot religiosorum ecclesiae et monasteria, ubi iesuitarum bene fundata collegia? Quantum obtinuit Moschus, tantum perdidit Romana fides? Nec ut alliciat Romam in sui favorem, sufficit promissa noviter residentiola patribus Societatis Iesu Kioviae, quia haec sumptu Imperatoris Romani et fundata est et conservatur. Si haec percurrerem animo malevolo, exaggerarem non pauca, sed quoniam placido corde loquar, sufficiet, ut secuto effectu videat posteritas me rei veritatem conformem obiecto aperire et sciat praevidisse me in tota Nostrate Ukraina, Podolia et florentissima catholica Nobilitate Volhyniae, et si quid ultra Moschus, Augusto non vetante, possidebit, Romanam fidem perpetuum exilium passuram^o).

Quae praeiudicia poterant Romanae fidei a Sueco evenire?

Poterant subesse media ad hunc arcendum, ne fidei nocerent.

Imo, si omnes constantem Polonorum unionem etiam Roma cooperante promovissent, etiam stante cum Sueco amicitia. Suecus ipse tractasset, quae sua sunt, sed non ausus fuisset transgredi terminos et modo indiscreto lacessere amicitiam sibi multum utilem. Quid autem mirum, si visa sunt aliqua, quae minus idonea putabantur, secluso hoc freno concordiae domesticae et ubi tanta pars abhorrebat a concordia in gratiam Regis Augusti, qui nihil tum de Polonia cogitabat, disunita inermi et a Sueci arbitrio pendente.

2do. Quod in gratiam Regis Stanislai ad mitissima in causa fidei descendisset Suecus, dedit validissima argumenta; circa ecclesias suas debebant conservari acatholici iuxta pacta Olivensia Posnaniae et Torunii, quae annis eadem pacta subsequētibz illis sunt receptae; Suecus iure evidenti pactorum urgebat, ut Lutheranis redderentur, nec ratio ulla solida in contrarium praetendi potuit, institit amicis precibus Stanislaus Rex et tanquam dono obtinuit, ut catholici [211v] firmiter ad easdem ecclesias ius haberent, meliori sane exemplo, ob quod maiori digno respectu quam Iosephus I Imperator, qui 150 ecclesias Lutheranis tradidit ad vanas Sueci minas et, quod

maiori apprehensione dignum Christi patrimonium, ut christianissimo magis noceat, sponte vendit et dilapidat. Dum Varsaviae tractatus inter Suecum et Regem Stanislaum ac Rempublicam agigaretur, Generalis Horn acerrimum contra catholicam religionem proposuit punctum. Eoque ventum est, ut etiam a deputatis ad hoc ipsismet Polonis approbatum fuisset. Quo comperto Stanislaus Rex nocte media ad Suecum, aliquot milliaribus distantem, celerissime accurrit et protestatus est se tali condicione nec coronam nec tractatum velle, invenit Suecum suis precibus benevolum et eadem noctis hora accepit mandatum Generalis Horn manu Regis Caroli scriptum, ut recederet a praefato puncto iam fere constituto et ne quidquam ultra pacta Olivensia praetenderet. Subiicio hic utrumque circa religionem punctum, tam Olivense quam Varsaviense, legat qui vult et comperiet hoc posterius nihil rigorosius continere, quam primum. Utique in Olivensi, conservati sunt haeretici, ut quiete iam possessis uterentur, ut libere sua exercerent, ecclesias resarcirent, nec solum in Prussia (nam titulus et occasio puncti huius sunt civitates Prussiae) sed etiam per totam Poloniam, nam omnes Reges Poloniae iurant, sub titulo: "pacem inter dissidentes, se conservaturos libertatem eorundem in fide"⁵. Ultra quod nihil additur in puncto Varsaviensi. Unde figmentum est, quod malevoli affectare imponunt. Recenter in Culmensi Diecesi aedificata esse a fundamentis et nova radice Luteranorum templa. Quod additur in Varsaviensi de Arianorum registro, ut hoc exteri intellegant. Sciendum post expulsionem Arianorum constitutum^p) esse in Tribunali modum quemdam et regestrum speciale, vix non quotidie incidens et quasi summario processu, praecisis omnibus iuris beneficiis et dilatationibus, ex nunc diiudicandum. Hoc statutum erat ob efficaciorum modum compescendi quam primum Arrianismum, si forte repullularet. Sed domini Poloni idem extenderunt ad omnes dissidentes et ad causas eorum omnes, etiam ad fidem non spectantes, ita ut si Luteranus decimam retinuisset, si censum a summa tardasset, aut in confiniis vicinum laessisset, traheretur ad hoc peremptorium iudicium, quod quia illi gravissimum erat, nec gaudere poterant iuris usitatis protelationibus, supplicarunt se ab hoc registro exemi^q). Quod ipsum melius firmavit punctum Olivense, obligando Regem, ut non attentis aliis subseliis (quod in Polonia rarissimum est) ipse iudicaret, si forte dissidentes se laesos^r) a catholicis praetenderent. Adiungo quod recto oculo spectandum est, magnique esse momenti aestimandum. Notum est, quod apud principes ratio fidei [212r] ab antiquo rationistatus sese accommodet, itaque necesse est, ut saltem indifferenter se habeat ad illam. Ex quibus infero, nunquam potuit Suecus fidei puncta in illis terminis relinquere, prout in Olivensibus constitutum est, immensa sua utilitate ductus, nisi habito respectu instantiae Regis Stanislai. Si iuncti simul Poloni ex una parte desiderassent, ut Suecus non attigisset Romanam fidem,

⁵ Cfr Confoederatio generalis Varsaviensis, *Volumina legum*, t. II, Petersburg 1859 (reimpr. Varsaviae 1980), p. 124.

ex altera vero parte obtulissent communia arma contra Moschum magno nostro, sed maiore Sueci faenore, numquid putandum est, quod ille respuisset tantum suum commodum ob irrationabilem rabiem contra Romanam fidem, quae in illo nunquam notata est, imo nec ab ore eius inopinata^{s)} indignatio erupit unquam.

Haec concordia desiderabilior fuit omnibus aliis et tali modo repeti poterant indigne ablata et sancta fides in integro conservari, quae modo ultra multorum opinionem extrema patietur. Qui huic concordiae contrarii erant et opponebant a Sueco periculum fidei, nec periculo quaerebant aequo et prono animo medelam, non respiciant Regem Augustum, metum sui reditus pro excusatione adferendo, siquidem is nec cogitabat thronum Poloniae, licet ab illis caeco impetu ad illum traheretur.

Infertur ex praemissis rerum infelicitas.

Nonne ergo saniora erant, quae hic notantur, quam iustissima ratione timentur, ne eveniant? Quid Roma putat? Quis impedit Moschum avellere provincias et fidem, ut antehac, ex iisdem extorrem facere? Quis impedit, ne Rex Prussiae aucto suo Dominio ex ditionibus Poloniae fideque in iis perdita lucra sua promoveat? Quodsi Turca se immisceat et in hoc theatrum prodeat, quis illi resistat^{t)}, ne ultra Moschoviam in Poloniam prodeat cum evidenti religionis praeiudicio? Incendii videmus initia, sed quousque progredietur, ignotum est. Et si Suecus ex ruina resurget (quod nec assero nec in contrarium securus sum), tunc Princeps, qui ei sponsionem fecerat, iustissima afficiet vindicta.

Quid si invalescet Rex Stanislaus (quod sine novo magno Poloniae detrimento esse nequit), quid tum putabitur de antecedenti Romae sensu quid de expeditionum praecocitate? auarum impediendarum timor ut obstinatos fecerat plurimos contra Regem Stanislaum, ita causam praestitit ulterioris revolutionis. Quid praeterea de animo - nunquam in hanc partem inclinato, imo nec indifferente? Certe sicut indoleo sequelis, quae premunt tamquam probabilibus, ita horreo etiam possibles hunc secuturos eventus, quos avertat ipsa Omnipotentis dextera, si manus hominis attingere etiam proportionata media in tempore recusavit.

Pactorum Olivensium Articulus 3tius⁶

<§ 3> Civitatibus Prussiae Regalis, quae in possessione Suae Regiae Maiestatis Regnique Suetiae hoc bello fuerunt, manebunt, itidem omnia iura, libertates et privilegia, quibus sive in ecclesiasticis [212v], sive in profanis potitae sunt ante hoc bellum (salvo libero uti ante hoc bellum <viguit>

⁶ Textus typis excussus: *Foedus inter Sacras Regias Majestates Suetiae & Poloniae atque Republicam Polonam conclusum Varsaviae in Coenobio Carmeliatrum Discalceatorum die XVIII - XXVIII Mensis Novembris Anni MDCCV*, [s. l. impr.], in 4°.

in praedictis civitatibus catholicae et evangelicae religionis exercitio), earumque territoria, magistratus, communitates, cives et incolas et subditos S.R.M. Poloniae, eadem qua olim clementia et gratia Regia ^(aa-<in posterum>-aa) prosequetur, fovebit et tuebitur; dabitur eisdem quoque facultas, aedificia publica et privata per iniuriam belli destructa reficere et reaedificare, pro his vero, quae necessitate defensionis destructa sunt minime tenebuntur. Quod^{bb)} vero, quae militiae Sueticae tributis loco ab ^(cc-utroque insula-cc) subditis exsolvere necesse fuit, a nemine molestia inferetur, sicut et propter decimas aliosve census, quibus subditi insularum^{dd)} tempore belli minime potiuntur^{ee)}, non turbabuntur.

<§ 4> Cunctae actiones et inquisitiones adversus illos, qui partibus hostilibus hoc bello adhaeserunt vel easdem securi^{ff)} esse insimulantur, quibuscunque in locis Poloniae, Magni Ducatus Lithuaniae, Prussiae Regalis, Curlandiaeque habitent, cuiuscunque status, ^(gg-<et> conditionis et-gg) religionis sint, sive privati vixerint, sive officio publico functi, aut servitio^{hh)} S. R. M. Suetiae in toga aut sago adstricti fuerint, institutae necdum finitae et ad executionemⁱⁱ⁾ deductae abrogentur, omnique executione careant in perpetuum; et in posterum numquam contra eos ulla^{ll)} quaestio vel actio ex hac causa instituat^{mmm)}. <§ 5> Quae durante hocce bello, iure fisci ex occasione ac praetextu adhaesionis aut protectionis alterius partis, cuique sive nobili sive plebeio cuiuscunque status, conditionis, religionisque adempta vel fisco illata vel aliis collata sunt bona, sive Regia sive Reipublicae, sive etiam privatorum sint, mobilia quidem si tradita sintⁿⁿ⁾, modernis possessoribus relinquuntur. Si vero eiusmodi iura caduca hactenus in executionem deducta non sunt, antiquis possessoribus relinquuntur, neque ulla actio de hinc adversus communitates aut privatos ratione eiusmodi bonorum intentetur.

Bona vero immobilia, haereditaria, advitalitia et iure hypothecae possessa fisco applicata tum, quorum donationes et largitiones factae sunt, sive iam ante tradita, sive nondum tradita sunt, maneant penes antiquos dominos, cessantibus de caetero ^(oo-omnibus <actionibus>oo) ratione reddituum sive ex publicis sive privatis bonis perceptorum^{pp)}.

Factorum Varsaviensium Articulus XVIII⁷

Sacra Regia Maiestas Poloniae et Respublicae ratihabent et se tuituras declarant pacem ac securitatem, quam dissidentes a religione Romano-Catholica, tam in Polonia quam in Lithuania nacti sunt, confoederationibus, pactis conventis, confirmationibus iurium et ipsismet Regum iuramentis firmatam, adeo ut protestantium religioni addictis, quamdiu pacifice se gerant, fides, quam profitentur, damno non sit futura aut quocunque praetextu impedimentum adferatur^{rr)}, quo minus locis solitis ac concessis sacra

⁷ Cfr editionem in *Volumina legum*, t. IV, Petersburg 1859 (reimpr. Varsaviae 1980), p. 344-354, articulus 3. in pp. 345-346.

rite peragant, liberosque suos in religione avita instruere ac educare possint. Si quae actio cuiquam eorum religionis causa intentetur, illa non ex capite Arianismi sicut Arianorum diiudicabitur^{ss)}.

- | | |
|--|--|
| a) utuli <i>scriptor</i> | aa-aa) in posterum <i>Volum. legum</i> |
| b) spensionem <i>scriptor</i> | bb) Quoad ea <i>Volum. legum</i> |
| c) extitis <i>scriptor</i> | cc-cc) utriusque insulae <i>Volum. legum</i> |
| d) favoribili <i>scriptor</i> | dd) insulani satisfacere <i>Volum. legum</i> |
| e) Poloniam <i>scriptor</i> | ee) potuerunt <i>Volum. legum</i> |
| f) nec editor; et <i>scriptor</i> | ff) secuti <i>Volum. legum</i> |
| g) dantem <i>scriptor</i> | gg-gg) et conditionis aut <i>Volum. legum</i> |
| h-h) in parte editor; imparte <i>scriptor</i> | hh) servitiis <i>Volum. legum</i> |
| i) sit <i>scriptor</i> | ii) executionem <i>Volum. legum</i> ; excutionem <i>scriptor</i> |
| k) potest ne <i>scriptor</i> | ll) nulla unquam <i>Volum. legum</i> |
| l-l) insecta <i>scriptor</i> | mm) instituetur <i>Volum. legum</i> |
| m) liberta <i>scriptor</i> | nn) sunt <i>Volum. legum</i> |
| n) post quae verbum sequitur <i>destrictum</i> | oo-oo) omnibus actionibus <i>Volum. legum</i> |
| o) passuram pro passurum <i>inscriptum</i> | pp) praeceptorum <i>Volum. legum</i> |
| p) constitutio <i>scriptor</i> | qq) juramentis Regum <i>ed. 1705</i> |
| q) eximii <i>scriptor</i> | rr) adferat <i>scriptor</i> |
| r) laetos <i>scriptor</i> | ss) disiudicabitur <i>scriptor</i> |
| s) in opinata <i>scriptor</i> | |
| t) resistet <i>scriptor</i> | |

